

XIV. 10^b = 0.

(cat. 4, 22-33^b)

Infort:

- 1) Leges pro convictoribus mensarum commun.
in collegio Paulino. Lips. 1731.
2. [Partorius, Balt.], Narratio actionis solennis in conv.
theol. cum fuerent bacularii. Lips. 1668.
- 2^a Syenschmidt, Joh. Carmen de dignitate studii theoloz. 1567
3. Nomina sociorum qui collegio concionatorio majori
ab a. 1624 ad a. 1724 interfuerunt. Lips. 1725.
4. Hommel, C. Ferd., Oratio de ordinariis facult. jurid.
1763. Lips. 1767.
5. Duc Mü./nu - Kriny zu Lügzig. 1763. 1768.
6. Duc Lindnau'sen Krappau bei Lügzig. Für Cul-
luyndis in vau Gofpügan. s. O. 1777.



17

LEGES

PRO

CONVICTORIBVS

MENSARVM

COMMUNIVM

IN

COLLEGIO PAVLINO

ACADEMIAE

LIPSIENSIS,

RECOGNITÆ ET DENVO

PVBLICATAE

Anno post Christum natum
MDCC XXXI.

4, 22



I.



Uicunque cibum in hoc contubernio capere vult, cum ante omnia in doctrina Evangelica, & religiosa pietate tradita in scriptis Prophetiis & Apostolicis, ac repetita in libro Christiana Concordiæ, breuiterque comprehensa in Catechetica Institutione D. Martini Lutheri, sacræ memoriæ, nobiscum sincere consentire, & coniunctum esse oportet.

II. Serenissimæ Domui ac familiæ Saxonica, secundum Deum beneficii huius largitrici benignissimæ, ad gratitudinem perpetuam procurando illius commoda, & auerendo omnia incommoda, quantum in ipso est, obligatum se esse sciat.

III. Nomen quoque suum in libro Rectoris perscriptum & obsequio illi addictum esse nouerit.

IV. Magnif. Dn. Rectori, ut & Dn. Decem. Viris, ac in specie Dn. Directori honorem & obedientiam declarabit.

V. Quilibet Conuictor non solum privatas, sed & publicas prælectiones sedulo diligenterque audiet, studiorumque suorum rationem

tionem singulo semestri spatio Decano
Facultatis, cui se addixit, reddet.

VI. Convictores frequenter & sedulo in-
teresse debent Disputationibus, aliisque a-
ctibus solemnibus publicè indictis, præcipuè
anniversariis atque Ecclesiasticis illis con-
gregationibus, quibus concio Latina habetur
in Templo Paulino, ut & recitationi Legum
& Statutorum Academiæ.

VII. Mensis accubaturi ante omnia pre-
ces ad Deum attentas effundant, & Lectoris
verba, quæ eum in finem ante & post cibum
recitat, simul sua faciant, & devotè pronun-
cient. A mensa discessuri iterum Deo agant
grates decentes. Inter preces quoque nemo,
recto assideat capite, neque discedat ante di-
ctam gratiarum actionem & cantum. Qui
hoc pietatis officium neglexit, is sciat, sibz
in hoc convictorio locum esse non posse.

VIII. Quilibet mensarum Inspector obser-
vabit hosce impios, qui contra has leges
peccant, & Domino Directori, vel Concilio
Decem-Virali singulis septimanis indi-
cabit.

IX. Qui communes has mensas frequen-
tat, is pretium consuetum pro victu sine
omni

omni mora, in duas septimanas, Oecono-
mopraeneret. Hoc qui non fecerit, ex nu-
mero Convictorum excludetur.

X. Qui liberalibus studiis non est con-
secratus, illi in hoc Convictorio non est
locus.

XI. Quicumque à mensa aliquandiu ab-
fuerit, eamque Oecono aperte non resi-
gnaverit, adpretium pro victu exsolven-
dum non minus teneri sciat, ac si praesens
adsuisset.

XII. Si quis Convictorum pretio prae-
numerato hinc abierit, ei ad mensem unum
(nisi notoria invaletudo, diutius eum de-
tinuerit, id quod Dn. Directori indicari de-
bet) relinqui in hoc Convictorio locus
potest.

XIII. Si quis diutius absuerit, tunc Se-
niori incumbit, sub pœna remotionis, talem
absentiam indicare Dn. Directori, ut loco
illius Convictor alius recipiatur.

XIV. Si quis hinc discedens, aut quo-
cumque modo se subducens locum suum in
Convictu deseruerit, nec Oecono satisfec-
erit, talis secundum Academiae statuta
ter

ter de more ad valvas Collegiorum publice
citatus & admonitus, si non comparuerit,
ac contumaciter emanferit, Relegationis
pena & infamia se affectum iri, certo
sciat.

XV. Nemini concessum esto Oeonomo,
ejusdemque ministris cibum apparantibus
ullam molestiam exhibere. Quicumque E.
dicto factore eis molestus fuerit, vel contu-
melia, aut injuria eosdem affecerit, is
non solum mense jacturam faciet, verum a
Magnif. Rectore quoque & Decem- Viris
condignam, pro delicti magnitudine, penam
& animadversionem sibi expectandam esse
sciat.

XVI. Si quis forte ab Oeonomo, vel
eidem adjunctis, quoque modo laesum se
existimauerit, is memor obligationis suae de
non vindicando seipsum, querelam ad Dn.
Rectorem, aut Dn. Directorem deferat, qui
adhibitis Decem-Viris pro re nata justitiam
administrabunt.

XVII. Qui mappas disciderit, patinas
& quadras petulanter confregerit, vel et-
iam fornaci & fenestris aliisque utensili-
bus damna intulerit, a mensa remove-
bitur.

XVIII.

XVIII. Sub ipsum punctum horæ XII. ante meridiana & VI. pomeridiana hieme, vel VII, æstate, fores cœnaculi panduntur; quo tempore sine tumultu & indecente strepitu Convictores ingredientur, locumque sibi assignatum singuli occupabunt.

XIX. In ipso prandendi cœnandique actu modeste assidere mensis, attenteque audire debent, quæ præleguntur, insuper ab omni strepitu, clamore, garritu, risuque immodico & quavis tumultuatione alia penitus abstinere volumus Convictores universos & singulos, pœnam statuentes in immorigeros & petulantes, ipsam mensæ communis privationem.

XX. Senior quoque cum Inspectore legum harum sit custos, suisque Commensalibus bono exemplo præeat, in leges has peccantes in viam reducere studeat, contumaces vero Dn. Directori indicet.

XXI. Schedas conspiratorias, chartasque famosas legibus Academicis severissime prohibitas, qui affixerit, sparseritve in convivio publico, aut alteri lectas tradiderit, nec Dn. Directori, aut Dn. Rectori tradiderit, is non modo a mensa removebitur sed & relegabitur.

XXII. Symposia ac computationes, quæ hæcenus de pecunia ex mulctis aliisque collecta,

lecta, à nonnullis post cibum sumtum in
Cenaculo hoc fieri consueverunt, justis &
gravibus de causis omnino tollimus, probi-
bemusque severissime; qua de causa volu-
mus, ut statim post auditam horam primam
antemeridianam, & vesperi post horam se-
ptimam Cenaculum hoc claudatur.

XXIII. Qui communes has mensas fre-
quentarunt, finitis studiis suis in nulla
alia nisi Saxonica Academia gradum Ma-
gistri, Licentiati aut Doctoris assumere
tenentur; secus qui fecerint, sciant, se om-
ni officiorum genere hisce in regionibus eo
ipso non solum indignos se reddidisse, sed
nec defutura esse media, quibus, ut hoc
quod perceperunt, beneficium parata pecu-
nia restituant, a degi queant-

XXIV. Atque ut ea, quæ de publica di-
sciplina in hoc Convictorio diligenter & ac-
curate deliberata, ac communibus senten-
tiis, consilioque maturo constituta sunt, rata
a cunctis habeantur, inviolataque serventur
imposterum; ad obedientiam hisce legibus
prestandam, sub pœna remotionis volumus
adstrictos Convictores universos & singulos.
Quibus diversum placuerit, alibi sibi
mensam & victum querere
poterunt.

✠ (o) ✠



yc 7214d

ULB Halle

3


000 979 325




VD 18

m. c.







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



LEGES
 PRO
CONVICTORIBVS
MENSARVM
 COMMUNIVM
 IN
COLLEGIO PAVLINO
ACADEMIAE
LIPSIENSIS,
 RECOGNITÆ ET DENVO
 PVBLICATAE

Anno post Christum natum
 MDCC XXXI.

4, 22

